

Alte Drucke

**Oratio || DE || SIMVLACRIS || VIRTVTVM, API-||BVS A NATVRA
|| IMPRESSIS: || habita || IN COLLEGIO ORATORIO ||
Clarissimi viri Dn. M. IOANNIS SIMONII ...**

Simonius, Johann

Rostochii, 1600

VD16 ZV 31070

Abschnitt

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-149989



DE M nunc ingenuis ferè artibus
accidit, quod Strabo refert de quo-
dam cytharædo. Nam is cum o-
lim apud Iassum in theatro præsen-
tibus civibus eruditè & suaviter
cythara luderet, statim ut incre-
puit tintinnabulum quod signum
illis erat, venundari pisces; illicò
omnes eo relicto foras proruunt ad
emendos pisces præter unum sur-
dastrum, qui, cum vitio aurium tintinnabuli signum non audi-
visset, solus remanserat. Ad eum igitur conversus cytharædus
inquit: habeo gratias cum ob Musicæ studium, tum quod ho-
noris mei causa manseris, nec ut ceteri me contempto ad pisces e-
mendos exieris. Sed hic ut intellexit ex cytharædo, reliquos
dilapsos esse emendorum piscium gratia, statim & ipse sese fo-
ras proripuit. Ita cytharædus, solus relictus in tanta civium
frequentia, neminem habuit, qui Musicen pluris quam pisces
faceret. Perinde nunc ferè agitur Auditores ornatissimi cum
bonis literis, ut pleriq; cum umbras rerum non res ipsas secten-
tur, studijs spretis, sese conferant ad eas artes, quæ sunt de pa-
ne, ut loqui solent, lucrando, & turpiter questuose. Nos vero
qui in studijs sapientia, & virtutum quadam palestra versa-
mur, elecet, ut neglectos à vulgo thesauros ipsi arripiamus, pa-
rium curantes, quæ sint imperitorum præpostera iudicia: & nos
ipsos ad veri & boni culturam sæpe exuscitemus. Quare cum
mihi dicendum esset ex hoc loco, opera me precium facturum ex-
istimabam, si quadam afferrem, quæ tum ad naturæ considera-

tionem pertinerent, tum ad mores formandos facere viderentur. Dicam autem de natura & ingenijs apum, & de virtutibus, quarum simulacra apibus ipsis sunt impressa. Vos quæso me benigne, Auditores Doctissimi & ornatissimi, audite.

Atq; ut inde exordiar: prudentia quædam politica nobis in apibus proponitur. Habent enim bene constitutam remp: est inter eos & Rex, & Imperium, & societas: educant sobolem: edificant: labore victum querunt: habent distributas operas, alia foris colligunt flores, & laborant; alia accipiunt opera; alia agunt excubias; alia domi condunt mella: gerunt bella: puniunt ignavos: quæ omnia prudentiæ esse opera omnes intelligimus, & quidem ejusmodi. ut his adminiculis floreat respub: sine his ferè nulla consistere possit. Quemadmodum sole ad nostrum Horizontem propius accedente omnia, quæ hyemis injuria erant quasi enectæ, reviviscunt & vegetantur: ita prudentia, præmia bonis, pœnas improbis irrogante, & singulas reip: partes cum pacis tum belli tempore bene & rectè & ordine disponente ac gubernante, cuncta in civitate efflorescunt: bene est Ecclesia, bene est scholis, bene est publico arario, bene est privatorum commodis, bene est medico, bene est agricole, bene deniq; est omnibus. Ut autem eximia prudentia, sic singularis quædam Temperantiæ imago in apibus cernitur. Nesciunt voluptates corporis; ignurant spurcitiam: sine concubitu producunt fœtus ex floribus: de qua re poetam, si placet, audiamus. sic n. ille & quidem summa cum divini operis hujus admiratione: Illum adeò placuisse apibus mirabere morem,
Quòd nec concubitu indulgent, nec corpora segnes
In venerem solvunt, aut fœtus nixibus edunt.
O miram! ô stupendam apum naturam! Attendant hic quotquot sunt intemperantiæ vitio dediti, attendant. non illis dico, Deum velle castitatem: non illis suggero castitatem nobilium esse ornamentum:

mentum: exaltationem humilium: nobilitatem ignobilium,
deformium pulchritudinem: pulchritudinis incrementum:
decus religionis, creatoris omnium DE I amicam: neq, hoc illis
occino, servum criminum stimulum esse intemperantiam, qua
nunquam quietum patitur esse suum mancipium, qua noctu fer-
vet, interdum anhelat, semper spumat libidines. de his nihil
dico. tantum illis ob oculos propono Apiculas, animalcula illa
bruta, qua dum elingues sunt loquuntur; dum tacent clamant,
dum bombilant, in-tonant & intemperantes graviter accusant.
Dabit mihi veniam, Auditores, si perditos illos homines ab-
sentes tanquam presentes alloquar. Apicula ergo, o perditu ho-
mines, vobis tacite quodammodo ita loqui videntur: Nobis
DEVS semina quadam castitatis ingeneravit; qua ipsa re
conditor noster demonstravit, se castitate delectari. utq, hoc re-
ctius vos homines intelligeretis, idem vos ad sui Imaginem
Ipse sua artifice & omnipotente manu creavit. At quid vos?
Illam vos fœdissimis libidinibus deturpatis. neq, vos movet
vel infelicitas presens, vel ira DEI, qua sempiternum impu-
ros manet. Quod si adeo ferrei essetis, ut neq, cælum sulphur
& ignem in libidinosos depluens vos flectere, neq, tot millia im-
purorum Israëlitarum occisa, neq, tot clades gentium propemo-
dum infinita à proposito isto menteq, sceleribus inquinata dimo-
vere posset: at movere tamen debebat vos nostrum exemplum.
vos homines, imago DEI, voluptatibus diffluitis, impia libidine
exultatis, in turpitudinibus bachamini: nos apiculae animal-
cula bruta, rationis, divina illius particule, egentia, omnis planè
libidinis ignara sumus. vos ad obsidendum stuprum jacetis
humis; nos Venere rea arma planè ignoramus. vos ad insidiandum
somno maritorum vigilatis: nos abominamur ejusmodi turpia
scelera, adeo ut in homines etiam impura libidine contamina-
tos, statim aculeos exacuamus, eosq, à nostris abigamus abvearijs.

Hoc, ut dixi, modo apicula, si possent, intemperantes accensarent,
sed ad rem redeo.

Sunt præterea fortes Apicula & bella gerunt. Solet n. dissidium
inter ipsas non raro existere, idq. non ex libidine non ex luxu
aut avaritia, aut dominandi cupiditate, aut etiam ex adulterijs:
sed ex πολυκοισαίῃ, tranquillitatis politica gravissima ut pluri-
mum adversaria. Nam cum tria sint, uti scitis, præcipua Po-
litiarum genera, Monarchia, Democratia & Aristocratia:
Apicula nostra, natura instinctu ducta, unius dominatione de-
lectantur: ut nullum sit dubium, quin hæc sit præstantissima
gubernationis forma. Est quidem unaquæq. politiarum suo
genere optima: sed tamen collatione facta Monarchia vide-
tur reliquis longè esse preferenda; quæ & ad DE I optimi ma-
ximi gubernationem quàm proximè accedit, & sui impressa
divinitus Nature vestigia quam plurima habet. Sic n. unus
rex est elephantis: sic unus rector in armento: omnes unam
ducem grues sectantur: diei præsidet unicus sol; Nocti uni-
ca Luna: in membris cor movet omnia: in partibus animi
Ratio præsidet. Sic Apicularum quoq. politia dominatu unius
gubernatur. Sed cum Reges sex aut septem in alveario gene-
rentur, teste quoq. Arist. lib. 5. historię animalium c. 21. ene-
cant illæ quidem duces improbos, veruntamen sæpè fit, ut ad
duos summa redeat, quos nequaquam sufferre possunt absq. fa-
ctionibus & partium dissidijs.

Continuoq; animos vulgi, & trepidantia bello
Corda, licet longè præsciscere, namq; morantes
Martius ille æris rauci canor increpat, & vox
Auditur, fractos sonitus imitata barbarum:
Tum trepidæ inter se coeunt, pennisq; coruscant,
Spiculaq; exacuunt rostris aptantq; lacertos:

Et

Et circa regem, atq; ipsa ad prætoria densæ
Miscentur, magnisq; vocant clamoribus hostem.

Mira sunt hæc, Auditores, quod & consilia inter se agitare apiculas Poëta dicit, & factiones inter ipsas flagrare. Sed hoc magis mirum, quod Rex ipse uterq; in acie dimicat, nec ut miles ille gloriosus, postquam suos instruxit, sibi cavet de loco. Illud autem longè est maximum, quod Apicula tanta ira pro sua politica conservatione dimicant, ut in conflictu non tantum victæ, sed etiam victrices cadant, pulcræq; petant per vulnèra mortem: quæ quidem ira præclara est ^{σοφία}, magno consilio divinitus data his animalculis ad arcendam vim injustam: qualis jam ira est, cum in Principibus Germaniæ, tum in summo imprimis Principe Imperatore nostro, bellum cum Turca crudelissimo jam multis annis gerentibus, ut debitas immanitatis & perfidiæ pœnas ab eo sumant, & tanta quidem eaq; justissima invictissimi animi indignatione gerentibus, ut, sicut Achilles apud Homerum inquit, ipsis volupe esset crudum devorare Turcam.

Neg, verò tantum Fortes, sed laboriosæ etiam sunt Apiculae. Omnes sunt in officio. Adolescentiores ferè ad opera prodeunt & materiam convehunt: seniores intus omnia disperitiunt & operantur. Quæ flores portant, prioribus pedibus femina onerant, pedes priores rostellis, totaq; onustæ remeant, sarcina pandatæ: excipiunt eas ternæ aut quaternæ atq; exonerant: aliæ struunt aliæ poliunt: aliæ suggerunt: aliæ cibum comparant ex eo, quod allatum est. Ipse Rex interea, cum populus labore occupatur, intus opera lustrat, exhortanti similis.

Quis hæc legens aut audiens non obstupescat? animalcula illa seu potius insecta illa bruta adeò labori esse dedita? pudeat

nos

nos, qui homines non dici sed esse volumus, pudeat, inquam, nos nostræ ignaviæ! Laborem fugimus. at quem laborem? illum profecto, sine quo in vita nihil quicquam egregium unquam quis affectus est. hanc tantam & tam divinam rem plerique fugimus: ignaviam autem & desidiam amamus. O perversas hominum mentes! o caca corda! apicula laborem amant, ignaviam oderunt, otiosos puniunt. nos homines laborem odio habemus, ignaviam amamus: otiosos in delictis & precio habemus. apicula in officio sunt tota & universe, & semper. nos homines voluptates sectamur, nos otio inhiamus adeo ac si hominis in eo salus esset posita: cum tamen nullum sit hoc igne incendium sepius: nihil sit, unde majori proventu proveniant vitia & scelera. unde enim mollicies? ex otio. unde libidines? ex otio. unde stupra, adulteria, furta, unde cades? ex otio. unde regnorum, urbium, populorum interitus, vastationes, ruina, unde reliqua denique, mala omnia? ex otio. Quis ergo otium pulvinar illud satana non detestetur? quis omni contentione nocentissimam hanc belluam non fugiat? quis honestos potius labores non suscipiat? quis sedulitatem, instrumentum illud omnia & animi & corporis & fortune nobis à DEO danda, parandi bona ferè unicum non amet, non exosuletur, non amplectatur?

Porro ut laboriosa, ita frugales quoque sunt Apicula: quæ mella quidem ex rore aeris, siderum exortu potissimum & arcus cælestis, ut Aristoteles lib. 5. historia c. 22. testatur, incubitu, admirando planè artificio contracta, cibi causa comparant; sed parcissimo contenta victu, reliquum in alvos condunt, & in hyemem reservant. Quid hac imagine nobis præsertim qui studia colimus, & in eo vita genere versamur, ubi magnas quotidie profusiones cernimus, quid nobis inquam vel ad cogitan-

dum dul-

*dum dulcius, vel ad degendum utilius, vel ad imitandum
præclarius hac ipsa imagine esse potest? quæ parsimoniam docet
& frugalitatem, virtutem quam & DEVS præcipit: sapien-
tes suadent: utilitas imperat. Colligite, inquit Christus sa-
lutis nostræ autor & vita Dominus, colligite, inquit, fragmen-
ta. Et Menander, nisi custodieris, ait, parva, perdes magna:
viaticum ad senectutem semper reoonde. quid vero? an non
illi, qui ea quæ ab honestis & necessarijs supersunt sumtibus non
colligunt, sed dispergunt, non custodiunt, sed prodigunt, re-
ctissimâ ad paupertatem via contendunt? opinor certe. Heus,
inquit Pythagoras, videns hominem prodigum; non desines
Miser confestim continuoq; tibi durum paupertatis carcerem
præparare.*

*Venio nunc ad aliud virtutis simulacrum, ad obedientiam:
qua nulla major, nulla præclarius inter homines est virtus,
nulla illustrior. nec ulla victoria, ullusve triumphus plus ha-
bet gloria quàm obedientia. ea debetur DEO, parentibus,
præceptoribus, Magistratui: de qua extremaspecie Plato in-
quit, longè optimum reip. civem esse, qui gloriosius sibi ducat,
ceteros cives obedientia erga leges & magistratus vincere
quàm olympico, vel quovis alio bellico vel pacifico certamine ad-
versarium superare. Hujus quoq; virtutis evidentissima
imago est in Apiculis, quæ Regi suo obedientiam exhibent
summam. idq; ita esse certissimis & evidentibus argumentis
probari potest. Nam rege vivo $\rho\alpha\sigma\iota\chi\alpha$ apicularum est
summa: ipsa verò sublato, concidit earum unanimitas, perit
concordia, tollitur societas. quid? quod ex regis obitu sum-
mum dolorem concipiunt apicula? ut nec Aegyptij acerbius
suos reges è vita abreptos lugeant. Illud vero quale obser-
vantia & pietatis cujusdam eximia existimabimus symbolum
esse,*

esse, quod apicula non tantum circa regem tempore belli congla-
bantur, eumq, cingunt, protegunt, cerni haud patiuntur, & si
nequeat volare, succollant: sed quod pro Rege etiam suo corpo-
ra bello objectant, pulcrumq, petunt per vulnera mortem?

O rem plane divinam! O singularis fidei erga regem ar-
gumentum certissimum! in quod cum aspicimus, facere certe
aliter non possumus, quam ut plerorumq, subditorum perfidiam
ac in suum magistratum immanitatem non tantum deploremus
sed etiam execremur. cuius sceleris cum plurima in omnibus
seculis extent horrenda exempla, tum illud nuperrimum in
Potentissimum Regem Scotiae Iacobum Sextum, Musarum illud
augustissimum delitium conceptum parricidium, novitate tru-
culentum, immanitate horrendum, crudelitate novum tacitus
nullo modo praterire possum. id ita se habet. Baro quidam
accedente totius regni sententia, supplicio iustissimo
ante aliquot annos affectus fuerat, relictis duobus filiis: qui
tum in aula Regis vivebant, & patris mortem, non tantum non
agere ferre se simulabant, sed etiam suo calculo eandem appro-
babant: Interjecto tempore discedunt hi ex aula, atq, in sua
prædiaredeunt, alto coquerentes sub pectore infamem Patris
mortem, & ultionem noctes diesq, meditantes. tandem nefa-
rio instituto nefarium strategema inveniunt. AEdificant ar-
cem ingentibus sumtibus, & singulari atq, inaudita aedificio-
rum descriptione, admirandoq, ornatu: atq, hac perfecta Re-
gem ad se invitant. Rex Iacobus nihil mali suspicans &
quod iam novitate atq, fama tanti operis incensus duceretur,
venit eo duobus aulicis & puero stipatus. Conduxerant au-
tem Barones paullo ante adventum Regis hominem armatum
hac conditione ut quem adducturi essent, eum sua manu truci-
daret: atq, sic cum mandato hoc in parte domus interiori collo-
caverant.

ceaverant. A cana ergo Rex optimus, doli & insidiarum plane ignarus, admonitus, cum altero Barone, minore natu, in superiorem arcis partem, pascendi oculos caussa, conscendit, uno illo puero comitatus, facem praeferente Barone parricida. Sed puer in vestibulo primae aulae, vel jussus vel animi certa inductione subsistit, progrediente Rege cum latrone ductore suo. Iamq; ad decimam aulam per mirabiles quosdam labyrinthos ventum erat; cum ecce Rex in armatum illum incidit. Extimuit uterq; & Rex & armatus: Rex, quod sentiret se in praesentissimum salutis & capitis periculum conjectum: Armatus, quod in Regem suam conductam operam intelligeret. Simul vero atq; huc ventum fuit, extemplo Baro latro signum dat armato Regis occidendi. Sed, agnoscite providentiam DEI? non tantum ille denegavit crudele hoc ministerium, verum etiam aperte professus est, se in Regem in unctum illum Domini manus injicere nullo posse modo. sateri, se condixisse operam suam homini feriendo, non autem Regi cadendo, cujus majestas homine sit major. Ad hanc vocem Baro ita infremuit ut ipse Regem adoriretur: eumq; oborto collo humum prosternere satageret. Sed Regum protector DEVS Regi optimo ita favit, ut mutata fortuna Rex latronem dejiceret. in qua quidem lucta varia cogitationes animum Regis in diversa traxerunt, num, quod poterat, latronem occideret, an bonis cum conditionibus dimitteret. Tandem visa est melior sententia, parcendum esse parricida, ne hoc occiso reliquam multitudinem in se exacueret. Itaq; data incolumitatis hinc inde, firmataq; sanctissimo juramento fide, Rex Baronem dimisit. progrediuntur ergo conjunctis manibus descensumq; repetunt. & jam appropinquabant loco, ubi relictus erat Regis puer, cum ecce iterum Baro majori quam antea feritate in Regem insilit, eumq; tanta vi prosternit, ut jam actum de vita

Regis fuisset, nisi tumultum hunc exaudiens puer accurisset, & Baronem latronem ferro trajecisset. Sed hic nova turba Regis animum invasit, altero latrone occiso. tandem in illam sententiam descendit, se ad Armatum rediturum, qui de fenestra alta & sublata voce clamaret: Regem fore occisum: existimabat enim ut qui extra conjuratos essent, audito hoc ipso, statim accurrerent, & tam indignum facinus ulturi Regi opem ferrent. Sed aliter ferè res cecidisset. Vbi enim Regis mortem proclamasset armatus: illicò alter Baro per scalas advolans adest, & cum Regem vivum conspexisset summa animi truculentia stricto gladio in Regem fertur jam jam ipsum occisurus. at hic in ipso flagrante crimine ab eodem Regis puero interfectus est. ipse a. Rex admirabili planè modo ex reliquorum latronum & conjuratorum manibus divinitus adjutus cum suis elapsus salvus & incolumis in suam Regiam venit. O verò vos latrones impios! ô perditos homines! ô parricidas intra ipsas feras & bruta abjiciendas? Apicula suum regem in periculis constitutum circumstant. Vos Regem vestrum Iacobum VI. potentissimum regem in periculum coniecistis. Apicule suo regi humeros supponunt: vos vestrum Regem quem ut juvaretis & naturalis & civilis ratio suadet, omni praesidio exivistis. Apicule pro Rege suo corpus atq; latera objiciunt, & interfici se patiuntur: Vos Regi vestro, & Magistratui, pro quo nemo unquam bonus mortem oppetere dubitavit, vitam sceleratissimis vestris manibus eripere conati estis. Sed cujus tanta est ingenij dicendiq; vis, quæ hujus inauditi sceleristam nefariam turpitudinem non dicam enarrare, sed cogitando assequi possit.

Nos auditores, admiremur naturam & ingenium apicularum, easq; emulemur. Prudentes sunt? & nos prudentia studea-

studeamus, ordinem in studijs & in omni re amemus: politi-
cum statum juvemus, atq; in hac ætate ætatis nostræ aliquid con-
vehamus, unde in senectute habeamus viaticum. Eadem sunt
Temperantes, sunt Fortes, sunt Laboriosa: Nos quoq; castita-
tem, sine qua nemo DEVM videre potest, sectemur: nos for-
titudine ad debellanda vitia & injurias devorandas utamur:
nos nullum honestum laborem subterfugiamus. Sunt fruga-
les Apicula: & nos non decebit esse prodigos. Sunt obdientes:
& nobis non conveniet petulantia. pulcræ deniq; eadem pe-
tunt per vulnera pro repub. suâ mortem: sic nos in pro-
fessione & ^{ΕΥΦΡΑΣΙΑ} mori decet, ut militem
in acie, imperatorem stan-
tem.

DIXI.

